

crassissimus, fere longitudine capitis huic impositus globulus, gerens cæteros articulos minimos. Habitat in India.

## 101. OBESUS.

Inter exoticos maxime singularis hicce, capite antice plano, thorace cylindrico, nigris: elytrorum brevium nigrorumque fasciæ tres luteæ, latæ, transversales; pedes nigri, antennæ corpore sesquilongiores. Habitat ad Promontorium bonæ spei.

## 102. BIANGULATUS.

Proximus ille cerambyci simplici (Nº. 99), Solummodo differt elytris integris nec emarginatis, & duplici macula angulata, antennisque paullo brevioribus. Habitat in Germania.

## 103. HISTRIO. TAB. XXI.

Ex minoribus hujus gentis, nec nisi armato oculo delineationem monstrans, caput cum thorace nigrum, elytra nigra, fasciis irregularibus ornata, quarum altera margines elytrorum non attingit, & tertia punctis duobus nigris notata: antennæ longitudine corporis, pedes ex flavo nigroque varii. Habitat in Europa.

## 104. ARGUS.

Crassus obesusque Cerambyx, parvus, niger, maxillas habet coccineas. Cæterum totus piceus, thorax cylindricus, in quoque latere ocelli duo sese tangentes irides ferrugineæ pupilla nigra: in elytris maculæ duæ subtrigonæ atræ, area ferruginea circumdatæ: antennæ longitudine corporis, & pedes nigrescunt. Habitat in Helvetia.

## 105. NIGRIPES.

Quoad structuram & lanuginem capitis ad attelabos accedit hæcce bestio-  
-ia: caput antice villosum, rubrum, postice nigrum, thorax cylindricus aurantius, punctis duobus atris, elytra aterrima sutura & margine aurantia ornant animalculum, quod subtus & aurantium, plantis atris. Habitat in Germania, rarior.

## 106. SERRATICORNIS.

Caput huic Cerambyci crassum, collum cylindricum inerme: elytra postice emarginata, color omnino pallide fuscus, fasciæ duæ longitudinales in thorace nigrae: elytra levissime punctulis nigris longitudinaliter digestis & maculata ad basin & apicem: antennæ corpore longiores, subtus spinosæ spinis minimis. Habitat in Europa.